ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Perillustris domine

Non desino quem perpetuis beneficijs tuum fecisti, eundem me
tibi quavis occasione ornandum obtrudere; nimirum
intelligo jampridem te non illubentius dare ea et
ferre quam me accipere. sed quid opus est verbis?
abdant ac recedant voces illae quae modestiae tuae
ab adulatione profectae videri possint, a cujus specie
tantum abesse volo, quantum absum ab adulandi ne-
cessitate. Ornatissimus vir Corn. Kuchlinus, quae-
stor Sylvaeducensis, qui hasce exhibebit hoc momen-
to indicium mihi fecit et alia multa honesta
in territorio Sylvaeducensi munera per pacem
vacare, et Oosterwici quoque hominem honestum
desiderari, qui isti pago et districtui satis am-
plo sit à secretis. auctorem se mihi esse
istius muneris non mediocriter opimi per ami-
cos fautoresque ambiendi. ipse continuo advola-
rem, nisi pater esset valetudinis deploratae
et gangraena pedum laboraret, quam saepe
momento cita mors consequitur. quare te
etiam atque etiam oro, qui mihi unicus pa-
tronus es et alter animo atque affectu parens,
ut apud Patres patriae conscriptos, quos
inter Schraterus, Toparcha Wimmenomius
alij, mihi addictissimi, me serio commendare
digneris, et ceteris debitis meis imponas ut sol-
vendi desperationem ita debendi perpetuitatem.
Ita vale perillustris domine

Scribebam tumultuarie

Alcmariae. XIV. CIƆIƆCXLVIII. tuus omni nomine servus
et cliens

Henricus Bruno.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 97
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4799

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 97
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4799

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 97
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4799

Mijn Heer

Mijn Heer van Zuilichem
Raedt en Secretaris van S.
Hoogheijt.

In 's GravenHaye

Door vriendt.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 97
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4799